



**Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D.
Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

§. II. Volunt as antecedens, & voluntas beneplaciti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73455)

nie debitum legale, & suo loco tractabitur, temperantia, quæ tendit ad passiones in ordine continentas, odium, quod pro objecto terminativo habet malum quæ tale: ira, quæ supponit tristitiam ex injuria illata acceptam: desiderium, quod fertur in bonum abiens, excluduntur à voluntate

DEI, ideòque si legimus in S. Scriptura, DEUM irasci ut psal. 59. *odisse omnes, qui operantur iniquitatem.* psal. 5. metaphoricè ista sunt accipienda, ratione nimirum alicujus effectus, qui apud homines ex odio vel ira solet procedere.

ARTICULUS III.

Quotuplex sit voluntas in DEO?

SUMMARI A.

1. Divisio voluntatis in DEO est materialis.
2. Alia voluntas absoluta & efficax, alia conditionata, & inefficax.
3. Quid sit voluntas antecedens & consequens?
4. Voluntatem antecedentem esse voluntatem beneplaciti ostendit auctoritas S. Scripturæ.
5. Probat preparatio mediæ sufficientiæ ad salutem.
6. Et universalis cura tam de singulis, quam omnibus hominibus.
7. Confirmat exemplum Judicis.
8. Voluntatem antecedens non inducit imperfectiorem.
9. Instantia de voluntate conditionata & metu.
10. Exponitur varia auctoritates S. Scripturæ.
11. Divisio voluntatis in antecedentem & consequentem est adequata.
12. Aliquando voluntas antecedens & consequens conjunguntur.

§. I.

Divisio voluntatis.

Voluntatem divisio non ex aliqua intrinseca distinctione virtuali, quam in una linea non dari pridem dictum; sed ex objectorum materialium voluntatum diversitate, circa quæ Divina voluntas versatur, accipitur: & solet primò dividi voluntas DEI in voluntatem signi & beneplaciti ex S. D. a. 11. voluntas beneplaciti est propriè & formaliter voluntas, quia est actus Divinae voluntatis formaliter in DEO existens. Voluntatem verò signi non est propriè sed metaphoricè voluntas; quia non est ipse actus Divinae voluntatis, sed extrinsecum signum illius, quo modo testamentum dicitur voluntas testatoris. Ejusmodi signa S. D. a. 1. enumerat 5. tria respectu boni scilicet operationem, præceptum & consilium. duo respectu mali, scilicet prohibitionem & permissiorem, hoc verò comprehensa.

Præcipit, ac prohibet, permittit, consulit, implet,

Existis signis sola operatio est infallibile signum absolute & veræ voluntatis in DEO, ideòque semper incidit cum voluntate beneplaciti; quia est impossibile DEUM non velle, quod operatur, omnia enim, quæ voluit, fecit in celo & in terra.

Voluntas beneplaciti ulterius dividitur in antecedentem & consequentem: sicut & in absolutam & conditionatam, efficacem & inefficacem.

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. 1.

Voluntas absoluta & efficax est, quæ absolute & efficaciter decernit effectum; ideòque semper impletur, de qua etiam dicitur Ezech. 3. *non est, qui tuae voluntati possit resistere.* Voluntatem conditionatam & inefficacem est, quæ sub conditione vult aliquid effectum, ideòque non semper impletur, sed impletur, si poneretur conditio, v. g. si homines facerent, quod deberent.

Voluntas antecedens non ex eo dicitur, quòd sit quaedam generalis & indifferentis voluntas antecedens nostræ voluntatis determinationem (quo modo exponit Vasquez) sed quod per illam DEUS vult aliquid, prout secundum se & sua intrinseca, præcise circumstantiis, est aliquid bonum & conveniens. Voluntatem consequens est, non quæ DEUS vult post determinationem nostræ voluntatis, sed quæ DEUS vult aliquid in particulari, ut vestitum omnibus circumstantiis. Nam ut S. D. voluntas comparatur ad res, secundum quod in se ipsis sunt: in se ipsis autem sunt in particulari; unde simpliciter volumus aliquid, secundum quod volumus illud consideratis omnibus circumstantiis particularibus, quod est consequenter velle. Idcirco voluntas consequens semper est absoluta & efficax; voluntas verò antecedens, nisi conjungatur cum consequente, est inefficax. Nam ut ibidem S. D. patet, quòd, quidquid DEUS simpliciter vult, fit: licet illud, quod antecedenter vult, non fiat. his positis sit

§. II.

Voluntas antecedens est voluntas beneplaciti.

CONCLUSIO. Non solum voluntas consequens, sed etiam antecedens, est vera & sincera voluntas beneplaciti. Ita Thomistæ cum S. D. cit. a. 11.

Probat primò de variis Scripturis ut Ezech. 18. *nunquid voluntatis mee est mors impii, dicit Dominus DEUS, & non, ut convertatur à viis suis, & vivat?* c. 33. *vivo ego dicit Dominus: nolo mortem impii, sed ut convertatur impius à via sua, & vivat.* 2. Petri 3. *nolens aliquis perire, sed omnes ad penitentiam reverti.* potissimum verò ex illo 1. Tim. c. 2. *DEUS vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* idque confirmat Apostolus ex eo, quòd unus est mediator DEI & hominum Christus Jesus, qui dedit seipsum redemptorem pro omnibus. Ex quibus

U 2

Pro-

5. Probatum secundò conclusio. Illa est voluntas vera beneplaciti, quæ præparat media sufficientia ad consequendum finem: electio quippe mediocriorum (supponit intentionem finis: sed voluntas omnes homines salvos faciendi comparat illis omnibus media sufficientia ad salutem: ergo est vera voluntas beneplaciti: jam autem non est voluntas consequens absoluta & efficax: aliàs de facto omnes homines salvi fierent: ergo est voluntas inefficax & antecedens: adeòque voluntas antecedens est vera voluntas beneplaciti. minor constat ex verbis Apostoli: nam passio Christi est medium oblatum omnibus hominibus in ordine ad consequendam salutem: *dedit enim semetipsum pro omnibus*. Et Colols. 1. *in ipso complacuit reconciliare omnia*. Rom. 8. *pro omnibus tradidit illum*. 1. Cor. 15. *pro omnibus mortuus est Christus*. 1. Jo. 2. *propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*.
6. Confirm. primò. Curam gerere de omnibus supponit seriam voluntatem salvandi omnes: atqui DEUS gerit providentiam & curam de omnibus hominibus: ergo habet seriam voluntatem salvandi omnes homines; sed hæc est voluntas antecedens: ergo. Minor est certa ex sap. 6. *Provisum & magnum ipse fecit, & aequaliter cura est illi de omnibus*. Unde D. Gregorius l. 25. moral. c. 29. *Sic DEVS intendit singulis, ac si vacet à cunctis; & sic omnibus simul intendit, ac si vacet à singulis*.
7. Confirm. secundò exemplo Judicis, qui licet voluntate consequenti, & perpenis omnibus circumstantiis reo velit vitam tollere: non ex hoc impeditur, quin serio cupiat quamvis inefficaci & conditionatà voluntate ipsius vitam servare, præsertim, si is aliàs sit amicus. Ita quamvis DEUS voluntate consequente & consideratis omnibus circumstantiis, ostensione nimirum suæ Justitiæ, misericordiæ in electos, gravitate peccati, &c. velit damnare reprobos, non exinde impeditur, quin voluntate antecedente velit omnes homines salvare, quippe quibus offert & comparat beneficia, cum quibus possent salvari, si volent.

§. III.

Solvuntur objectiones.

8. Objic. primò. Hæc voluntas antecedens infert imperfectionem in DEUM, primò, quia est otiosa & inefficax ad consequendum effectum. Secundò, quia infert contrarias voluntates in DEUM, vult enim omnes salvare per voluntatem antecedentem, & non vult omnes homines salvare per voluntatem consequentem. Resp. neg. antecedens. & ad primam probationem dico, non esse voluntatem otiosam; quia licet non fortia- tur effectum ultimaturn, sortitur tamen effectus inchoatos & intermedios, inter quos sunt (ut inquit S. D. in 1. d. 46. q. 1. a. 1.) ipse ordo naturæ in finem salutis, & promoventia in finem, omnibus communiter proposita, tam naturalia, quam gratuita, &c. neque ista inefficacia est ex defectu agentis & voluntatis; sed ex defectu objecti, quod absolutè secundum se, & absque ad- junctione circumstantiarum potest esse tantum-

modo objectum voluntatis inefficacis, non autem efficacis.

Instabis. Qui habet voluntatem inefficacem ex parte objecti, haberet efficacem, si absque suo incommodo posset objectum mandare executioni: si enim mercator posset salvare sine periculo suas merces, haberet etiam efficacem voluntatem illas salvandi: --- Ergo cum DEUS absque ullo sub incommodo posset salvare omnem hominem, non habet veram voluntatem ne quidem inefficacem ipsos salvandi.

Resp. dist. antec. haberet voluntatem efficacem, nisi executio objecti ratione adjunctæ circumstantiæ appareat minus bona, conc. si appareat minus bona, nego. Et ideo mercator efficaciter appeteret retinere merces, quia illa cessante periculo haberet eandem bonitatem, quam haberet ante periculum: at salus omnium hominum, quæ absolutè secundum se repræsentatur bona, in circumstantiis manifestandi Divinam Justitiam, aliàsque DEI perfectiones, DEO apparet minus bona.

Objicies secundò nonnullas Autoritates, quibus videtur indicari, Christum non pro omnibus esse mortuum. Ita Joa. 17. *non pro mundo rogo*. Matth. 16. *qui pro multis effundetur*. Concilium Valentinum *Christus non est mortuus pro iis, qui in impietate mortui sunt*. D. Th. 3. p. q. 21. a. 4. ad 2. *Christus non oravit pro omnibus Crucifixibus, nec etiam pro omnibus, qui erant credituri in eum, sed solum pro eis, qui erant prædestinati, ut per ipsum vitam consequerentur æternam*.

Resp. in primo & ultimo loco sensum esse de efficaci & consequenti voluntate orandi, non de antecedente; quia sanguis Christi pro omnibus quidem sufficienter, non tamen efficaciter fuit oblatum & effusus, quo modo exponit & loquitur Tridentinum Sels. 6. c. 2. & 3. Ad secundum locum Matt. Resp. ly *pro multis* ibidem accipi pro omnibus. ut sæpius contingit in S. Scriptura. Ad 3. locum ex Concil. Resp. mentem ipsius esse, quod Christus non obtulerit suam passionem, ut hi, qui in impietate sunt mortui, ex inferno liberentur, quod senserunt aliqui hæretici.

Colliges ex dictis primò, divisionem voluntatis in antecedentem & consequentem esse adequatam; quia accipitur à membris contradictoriè oppositis: aut enim est voluntas & amor boni sine circumstantiis particularibus, aut cum illis considerati. Si primum, est voluntas antecedens; si secundum, est consequens. Unde rejicienda est illa RR. voluntas concurrens, utpote destruens efficaciam intrinsecam Divinorum decretorum (de qua in sequent.) & medium ponens inter contradictoria. Cæterum ipsa voluntas consequens, si est circa mala, dicitur voluntas permissionis, circa bona verò voluntas approbationis.

Colliges secundò, voluntatem antecedentem sæpe conjungi cum consequente, sicuti gratia efficax sæpe comiturur sufficientem: nam in salute omnium hominum, quæ est volita voluntate antecedente, etiam includitur salus prædestinatorum, quam DEUS etiam vult voluntate consequente.